



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IX. Longa praescriptio robur dat conceßioni a laico factae sine episcopali auctoritate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

tuto alium æque idoneum, in ecclesiam eandem admitti, quis eorum alteri præferatur, episcopi iudicio credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui competit ius præsentandi. Verum si collegium vel religiosa persona præsentationem habuerit, prior tempore, potior iure merito videtur.

C A P. IX. *Idem.*

Cum pastoralinecessitate constringamur, & auctoritate iniuncti nobis officii prouocemur pro statu ecclesiarum vigili cura satagere, & ne contra iuris ordinem alicui conferri debeant, attentiori sollicitudine prouidere: inde est, quod vniuersitati vestræ, &c. quatenus ex donatione laicorum, nisi auctoritas diocesani episcopi interueniat & consensus adsit, nullus vestrum sibi ecclesias vendicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi \* longa fuerit præscriptione munitus, aut postea diocesani episcopi forte habuerit consensum. Nos enim, cum laici non possint nisi ius quod habent transferre in alios, huiusmodi concessionibus viribus carere decernimus, & penitus irritas esse censemus.

C A P. X. *Idem.*

Relatum est auribus nostris, quod vos ius præsentandi clericos ad ecclesias, contra institutionem antiquam vestri ordinis, emptionis titulo & modis aliis satagitis adipisci, vt sub tali prætextu vobis liceat habere ecclesias, & per vos vel per alios detinere. Quoniam igitur non decet nos occasione qualibet vel obtentu ab antiquis Canonibus patrum nostrorum recedere, aut quidquam efficere, in quo possitis de vitio cupiditatis reprehendi: discretioni vestræ, &c. quatenus iura patronatus in ecclesiis, aut in ecclesiis de cetero acquirere desistatis, quia non expedit vobis, nec nos volumus sustinere, vt sub tali prætextu vobis vel ordini vestro derogetur. Sane vsque adeo vos & ordinem vestrum diligimus, vt in vobis quæ honestati & religioni contraria sunt, nullatenus fouere velimus: quia de vobis nil incommodi, nil volumus audire finistri.

C A P. XI. *Idem.*

Ea quæ honestatis doctorem deformant, & Canonum